



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita B. P. Ignatii Qui Religionem Clericorum Societatis lesv instituit**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Ipris Flandrorum, 1612**

Petrus Ribadeneira Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45048**



PETRVS RIBADENEIRA

AD LECTOREM.

**L**ongi difficilisque & mea senectuti  
gravis operis de vita rebusque gestis  
eorum sanctorum, quorum in suo Breuiario  
toto anno memoriam Ecclesia Romana  
celebrat, Deo bene iuvante, finem hodie-  
nus dies attulit, ei enim tribuenda laus,  
qui nos suo ductu è longa & periculosa  
navigatione in optatum portum inuexit.  
Laudanda serenissima Regina celi, cuius  
meritis eundem portum tenuimus, ac re-  
liqui sancti quorum vitam scripsimus, ut  
eos imitandi desiderium in hominum ani-  
mis inserere possimus. Finis vero quem no-  
bis in scribendo proponimus, est honor eo-  
rundem diuorum & Dei gloria, qui eos  
sanctos effecit; quorum vitam quotidie no-  
bis ob oculos ponit, ut & nos integritatem  
& innocentiam vite sectemur. Optant  
multi à nobisque contendunt, ut continue-

à 2

mus

mus hunc laborem, & vitas etiam eorum  
sanctorum persequamur, qui non sunt in  
Breuiarium relati, quæ sanè multæ sunt,  
neque minus quàm illæ admirabiles. Eo-  
rum desiderio cupio satisfacere, si vita vi-  
resq; suppeditent. Nunc enim quiete non  
nulla vires ad nouum laborem reficienda.  
Ea tamen ne penitus otiosa sit, vitam inter-  
rim B. P. Ignatij auctoris huius minimæ  
Societatis I E S V, felici hinc ad reliqua  
sumpto auspicio scribendam mihi sumpsi,  
primum quia communis est omnium no-  
strum parens, qui eius signa sequimur, de-  
inde quia me sinu suo prope ab incunabu-  
lis fouit, & omnium qui supersunt anti-  
quissimus sum, eiq; familiarissimus, cui  
sanctitas illius admirabilesq; virtutes spe-  
ctata & cognita: qua de re tamen abs-  
que pudore ac verecundia loqui non pos-  
sum. Quamuis autem ante multos annos  
eius vitam Latino Hispanoq; sermone,  
Societatis institutionem & propagatio-  
nem libris quinque sum complexus: eos ta-  
men hic eompendij causa contraxi, eaque  
summatim collegi quæ sunt eius vitæ pro-  
pria, vt commodius legatur & planius  
intelligatur. Id enim modò tempus postu-  
labat,

labat, quo de eius canono Zatione cum Se-  
de Apostolica deliberatur, ac Deus in  
dies ipsius sanctitatem multis magnisque  
miraculis per varias regiones patris  
prodit, ut ornet in terris, quem gloria &  
honore coronavit in caelis.



ã 3